Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fecerant reges israel ad irritandum dominum abstulit iosias. et fecit eis secundum omnia opera que fecerat israel in bethel. et occidit universos sacerdotes excelsorum qui erant ibi super altaria. et combussit ossa humana super ea. Reversusque est ierusalem. et precepit omni populo dicens. Facite phase domino deo vestro secundum quod scriptum est in libro federis huius. Nec enim factum est phase tale a diebus iudicum qui iudicaverunt israel et omnium ~~dierum~~ regum israel et regum iuda. sicut in octavo decimo anno regis iosie. factum est phase istud domino in ierusalem. Sed et phitones et ariolos et figuras ydolorum et inmunditias abhominationesque que fuerant in terra iuda et in ierusalem abstulit iosias. ut statueret verba legis que scripta sunt in libro quem invenit helchias sacerdos in domo domini. Similis illi non fuit ante eum rex qui reverteretur ad dominum in omni corde suo. et in tota anima sua. et in universa virtute sua. iuxta omnem legem moysi. neque post eum surrexit similis illi. Verumtamen non est aversus dominus ab ira furoris sui magni. quo iratus est furor eius contra iudam. propter irritationes quibus provocaverat eum manasses. Dixit itaque dominus. Etiam iudam auferam a facie mea. sicut abstuli israel. et proiciam civitatem hanc quam elegi ierusalem. et domum de qua dixi. erit nomen meum ibi. Reliqua autem verborum iosie et universa que fecit. nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda. In diebus eius ascendit pharao nechao rex egypti contra regem assyriorum ad flumen eufraten. Et abiit rex iosias in occursum eius. et occisus est in mageddo cum vidisset eum. Et portaverunt eum servi sui mortuum de mageddo. et pertulerunt in ierusalem. et sepelierunt eum in sepulchro suo.

IOSIAS convertitur. dominus et rex noster victor ab inferis regreditur. Videt sepulchra que sunt in monte. videt tegumenta littere in veteris testamenti sublimitate. Mittit spiritum sanctum de celis. et tollit ossa de sepulchris. robur celestium mysteriorum de congerie mortuarum litterarum. Super altare ea combussit. dum legalium cerimoniarum cultum flamma spiritalis intelligentie subiecit. sicque altare polluit. dum omnem legis sanctificationem carnalem destruit. Iuxta verbum domini quod vir dei est locutus qui verba hec predixerat. quia ipse Christus rex per prophetas suos ista quondam testificatus fuerat. Iosias autem cum Christus rex sue resurrectionis triumphum instituit. Cuius est titulus ille quem video. qualis est triumphus iste. quem ego acquisivi sanguine meo. quo celum et terra letantur et reparantur. quo infernorum regna disturbantur? Respondent ei cives illius urbis. patriarche et prophete. quorum multi cum ipso resurgente resurgunt. et apostoli qui eius resurrectioni testimonium dicunt. Sepulchrum est hominis dei qui de iuda venit. quia titulus iste resurrectionis sepulchrum Christi celebre facit. qui de tribu iuda carnem mortalem assumpsit. Qui verba hec super altare bethel predixit. quia in lege psalmis et prophetis per suam passionem legis futuram consummationem predixit. Iosias autem cum Christus rex sua resurrectione verum se dei filium. verumque virginis filium esse ostendit. Dimittite eum. scilicet eum qui in sepulchro iacuit. qui de sepulchro surrexit verum deum. verumque hominem vos patriarche et prophete predicate. vos apostoli confirmate. Nemo ossa eius commoveat. nemo hereticorum vel infidelium sacramenta eius negare vel violare audeat. Ossa illius manent intacta. quia Christi sacramenta firma perseverant et illibata. Cum ossibus prophete qui venerat de samaria. cum sacramentis ecclesie. que de gentium processit familia. Iosias omnia fana excelsorum tollit. dum Christus omnem veteris testamenti litteram spiritaliter convertit. Que in civitatibus samarie erant. que in universis libris synagoge continebantur. Que reges israel ad irritandum dominum fecerant. que prophete descripserant. ut populus synagoge dum ea carnaliter intellegeret. magis magisque in eis offenderet. Fecit eis iosias secundum omnia opera que in bethel fecerat. quia Christus rex sicut sua passione legem moysi subvertit. sic omnem veteris testamenti scripturam spiritaliter evertit. Universos sacerdotes ydolorum qui ibi erant super altaria occidit. dum Christus rex omnis litteras veteris testamenti sacrum scientie ducatum iudei